

IN IL EPIST. AD THESS. CAP. I.
IN POSTERIOREM EPISTOLAM PAVLI APO-
STOLI AD THESSALONICENSIS CATHOLICA
EXPOSITIO ECCLESIASTICA.

Authorum nomina, qui in commentariis in hanc Epistolam citantur.

AMB Ambrosius. B Balingerus. C Calvinus. L Pelicanus. PAR Paraphrastes. T Theophylactus. P Pomeranus. E Eras. Sarcerius. I Iodocus
Vullichius. V Vitus Theod. C Christoph. Hosian. A Aug. Marloratus.

ARGUMENTVM.

QUONIAM non contigit Paulo facultas reuivendi Thessalonicenses, per hanc quoque Epistolam confirmat illorum animos, vt
fortiter ferant illatas ob Christum afflictiones, nec ipsis defuturum primum, nec aduersarijs vindictam. Hoc tractat primo capite.
v Rursus quoniam eis scripserat in priorē Epistola vltimum diem de imposito venturum, & admoneat quoque vt vigilant, ne
supini essent, putabant Thessalonicenses se visuros vltimum diem. Quare secundo capite vnam illam & fabulosam opinionem quae
de propinquo Christi aduentu sparsa inualerat, hoc argumento retellit, quia prius oporteat fieri discessionem in Ecclesia, & bo-
nam orbis partem perfide a Deo desicere; imo Antichristum regnare in templo Dei, r quem tandem perditionis filium vltimus est
Dominus Iesus, ac spiritu oris sui interfecurus. B Huiusdem vero Antichristi aduentum ac regnum graphice pingit, certe vt posterius seculum com-
monitum sibi ab ea peste caueat. C Tertio capite postquam se precibus eorum commendauit, & breuiter animauit ad constantiam, & seuerē corripi-
iuber eos, a qui otio & curiositate turbabant ordinem publicum. C Quod si non obtemperent monitionibus, excommunicandos esse docet. A De in-
de fausto & felici voto Epistolam ipsam claudit, a Quae quidem breuis est, sed mire vtilis & docta. Stilonihil differt a superiori, neque eruditione
inferior est. C Hanc Roma esse missam (vt vulgo habent Graeci codices) non est probabile: nam de suis vinculis aliquid attigisset, sicuti in alijs solet.
Deinde sibi instare periculum significat ab hominibus importunis. Infra, 3. a. 2. Vnde conijci potest, quum Ierosolymam tenderet ex itinere scripsisse.
Et iam olim Athenis fuisse scriptam passim receptum fuit apud Latinos. A Existimant etiam nonnulli per Titum & Onesium missam fuisse.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS & Siluanus & Timotheus Ecclesiae
Thessalonicensium in Deo Patre nostro, & Do-
mino Iesu Christo.

2. Gratia sit vobis & pax a Deo Patre no-
stro, & Domino Iesu Christo.

PAVLVS ET SILVANVS ET TIMOTHEVS. H Vt in priorē ad Thessalo-
nicenses Paulus ita & in posteriorē orditur, retinens eandem subscrip-
tionis & salutationis formam. A Trium nomine scribit, tum propter docen-
di concordiam & consensum, tum propter istius institutionis autori-
tatem & dignitatem. Plus enim fidei & auctoritatis multis praefertim e-
iusdem artificij habetur quam vni alicui: iuxta prouerbum, Nemo
vnus tam ocularis est vt omnia bene perspiciat. Quare prudentissime
Paulus suorum symmittarum nomina inseruit. **ECCLESIAE THESSAL.**
Hae inscriptio continet insignem sub Thessalonicensium nomine Ec-
clesiae descriptionem, quae est congregatio in Deo Patre & Domino no-
stro Iesu Christo congregata. H Testatur autem haec inscriptio, Episto-
lam primitus ei Ecclesiae destinata fuisse quae in Thessalonica concor-
di fidei unitate vnum Deum Patrem & Dominum Iesum Christum a-
dorabat, quaeque promissorum Euangelij fidem retinebat, vt in quib. solis
continetur Christianae iustitiae & aeternae vitae doctrina. Nec enim po-
tess sine illorum notitia & fide quisquam Ecclesiae Dei Patris & Domini
Iesu Christi recte adnumerari. Iam vero non minus destinata esse om-
nibus nobis existimemus, qui vera in Deum Patrem & Dominum Ie-
sum Christum fide praediti sumus: imo vero maxime prodest nunc Ec-
clesiae, quae his postremis temporib. reuelati Antichristi sibi ab impostor-
ibus cauere potest ac sine hac Epistola vix satis cognosci potuisset nunc
fauiens in Ecclesia, furens Antichristus, ac vastans illam. E Notandum
etiam quod Apostolo Deum Patrem & Dominum Iesum Christum con-
iunxerit, quo ostenderet Filium haudquaquam esse inferiorem Patre.
GRATIA SIT VOBIS. Hae saluatio imprecatio quaedam est diuini fauor-
is & donorum eius. Vide Rom. 1. a. 7.

3. Gratias agere debemus Deo semper de vobis, fratres,
vt par est, quod vehementer augetur fides vestra, & exuber-
ret mutua cuiusque omnium vestrum charitas.

GRATIAS AGERE DEBEMVS. I Prima Epistolae pars est gratula-
toria & *diuina*. Nam gratiae Deo tamquam eorum beneficiorum da-
tori & confirmatori aguntur. H Ita fere orditur Paulus & in alijs suis scri-
ptis, agens cum illis quibus donum iustificationis contigerat. **SEMPER.**
Significat sibi assidue suppeditari nouam materiam gratias agendi Deo.
DE VOBIS, FRATRES, E Hoc est nomine vestro, vel pro constantia & in-
cremento vestro in rebus spiritualibus: positis personis pro rebus, A vt
mox videbimus, vt **PAR EST.** C His verbis ostendit Paulus nos ad gra-
tias Deo agendas obstringi, non modo quum nobis benefacit, sed etiam
quum eius erga fratres nostros beneficia reputamus. Vbiunq; enim re-
lucet Dei bonitas, laude ipsam profecti decet. Deinde sic chara nobis
esse debet fratrum salus, vt quicquid illis datum est, debeamus inter bo-
na nostra censere. Quinetiam si reputamus qualis & quam sancta sit cor-
poris Christi unitas, vigebit haec mutua inter nos communicatio, vt y-
nuscuiusque membri bona in lucro totius Ecclesiae deputemus. Ergo in
laudandis Dei beneficijs semper respicienda est Ecclesiae vniuersitas.
QVOD VEHEMENTER. E Repetuntur hic praecipua religionis nostrae ca-
pita, fides, charitas & tolerantia: sed non immerito. C Nam quia in prio-
re Epistola fidem Thessalonicensium & charitatem laudauerat, (1. Thes.
1. b. 5.) nunc praedicat vtriusque incrementa. Et sane pijs omnibus reuen-
da est haec ratio, vt se quotidie examinent, ac videant quousque sint pro-
gressi. Hae igitur vera laus fidelium, si in dijs crescunt in fide & charita-
te. Ceterum prius gratias de ipsis egerat Deo: nunc dicit esse quare rur-
sus agat propter quotidianos progressus. Quum autem gratias agit Deo
hoc nomine, ab ipso esse testatur non minus incrementa quam initium
fidei & charitatis. Nam si essent ex virtute hominum, ficta esset aut certe
de nihilo gratiarum actio. I Tres itaque sunt gratulationis causa: qua-
rum prima est fidei incrementum. Siquidem fides etiam in Deo conse-
cratis, vt vera sit & perfecta, non subito adolefcit: quemadmodum plan-
tae non statim in arborum iustam magnitudinem succrescunt, sed pri-
mum germinant & effruticant, atque paulatim arborefcunt. Ita & fidei

sunt sui gradus, vt non protinus sit vndeque confirmata: sed in dies
maiores atque maiorem sui accessionem fieri experit. Illud sibi vult hoc
Pauli, De fide in fidem, Ro. 1. b. 17. videlicet vt ead in primo imperu non
labascat, sed vt magis confirmetur vsq; ad iustam perfectionem. Est. n.
iuxta civilem loquendi consuetudinem, duplex fides: vna imperfecta,
quae affectu & inchoata gradatim pergit & augetur, vt non semper sit in-
firmata: altera est perfecta, quae multis rationib. confirmata, constantiter ac
sedulo in certa Dei cognitione voluntateque acquiescit. Et **EXUBERET
MUTUA.** Altera est causa mutua priorum charitas, quae quemlibet sibi ob-
uium & afflictum in multitudine beneficiorum deuincit. Et si iuxta fami-
liarem vsum sacrarum literarū, sit proximus qui aliqua ratione vel ciui-
tatis, vel cognationis, vel amicitiae, vel societatis, vel consuetudinis no-
bis coniunctus est: tamen is quoque erit qui nostra opera qualicumque
eget, etiam qui non sit socius, vel cognatus, & aliqua consuetudine no-
bis coniunctus: cuiusmodi est qui in latrones incidit, Luc. 10. f. 30. Sec-
undum autem illa charitas ab altera quae est in Deum, quum haec Deum,
qui prior nos dilexit (1. Ioh. 4. b. 10.) summo amore prosequatur. Ea sane
est pietas & cultus quem Deo debemus. Et sicut huius officia ex priori
tabula, ita illius ex posteriori colliguntur: vt quae ex altera manet, & tan-
quam ex fonte profuat, non potest non Deo esse perquam accepta. Qua-
re fit vt Deus posteriore sepe magis viget quam sui charitatem. Sa-
crificijs enim sibi factis viduarum patrocinium, pupillorum vindictio-
nem, oppressorum subleuamentum apud Propheetam anteponit, Esa. 61.
c. 17. Siquidem symbolum fidei ipsa habetur, & tam necessario ipsam
comitatur quam umbra corpus. H Nam fides quae coram Deo valet, res est
per charitatem efficax. Gal. 5. a. 6.

4. Adeo vt nos ipsi de vobis gloriemur in Ecclesia Dei de
tolerantia vestra & fide super omnibus persecutionibus ve-
stris & afflictionibus quas sustinetis.

ADEO VT NOS IPSI. C Non potuit ampliore illis laudem tribuere
quam quum dicit se alijs Ecclesijs ipsos proponere in exempla: id enim
sibi vult haec verba, Gloriamur in vobis apud alias Ecclesias. Neque e-
nim ambiose Thessalonicensium fidem iactabat Paulus, sed quatenus
eorum praedicationis stimulus esse poterat ad imitationis studium. IN Ec-
clesijs Dei. **QVOD** Ecclesias non suas sed Dei vocat, humilitatis & fi-
dei est. Perfidi enim sunt qui quum serui Dei & ministri Ecclesiarum
esse deberent, dominos se vocari flagitant, & dictaturam sibi in alienos
seruos vsurpant. **DE TOLERANTIA.** L Tertia & vltima causa gratulatio-
nis ex ipsa tolerantia. C Ceterum non dicit Apostolus se gloriari de fide
Thessalonicensium & charitate, sed de patientia & fide, vnde sequitur,
patientiam fructum esse ac testimonium fidei: Ideo sic resolu debet haec
verba. Gloriamur de patientia, quae ex fide prouenit, & eam testatur in
vobis excellere, alioqui non cogueret contextus. Et certe nihil est quod
nos sustineat in tribulationibus quam fides: quod inde satis patet, quia
simulae Dei promissiones nos fugiunt, toti collabimur. Ergo quo quisq;
magis in fide profecerit, eo ad ferenda fortiter omnia erit patientia in-
structior: quemadmodum tursus mollities & impatientia in aduersis in-
fidelitatem nostram arguit: praesertim vero vbi sustinentur sunt pro Eu-
angelio persecutiones illis se profert vis fidei. H Non igitur erat super-
ba & vana iactantia illa Apostoli Pauli gloriatio, sed pietas qua verbi Dei
fructum dignis praeconijs vehebat & laudabat vtiliter, & ipsis adeo Thes-
salonicensibus gratulabatur, quod ita & in tantum confirmati essent vt
nulla periculorum aut persecutionum se atrocitate ad fidei defectionem
frangi possint. Hoc vero quid erat nisi eius totius virtutis Laudem Deo
ferre acceptam? Doctet autem hic locus sanctos persecutionibus obie-
ctos perpetuis exerceri afflictionibus. 1 Quotquot enim pie volunt vi-
uere in Christo Iesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. c. 12.

5. Documentum iusti iudicij Dei in hoc vt digni habe-
mini in regno Dei, pro quo & patimini.

DOCUMENTVM IUSTI IUDICII DEI. C Simplex & genuinus sensus
est, quod iniuriae & persecutiones, quas innocentes & pij ab improbis
& sceleratis sustinent, quasi in speculo demonstrent Deum fore aliquan-
do mundi iudicem, Ac omnino haec sententia antistrophon est profanae
opinionis, quam concipere solemus quoties bonis male & malis bene
est. Putamus enim fortuito volui mundum, nullamque Deo guberna-
tionem relinquimus. Hinc fit vt corda hominum occupet impietas &
contemptus: vt inquit Solomon Ecclesiast. nono, a. 3. Nam qui indigne
aliquid patiuntur, vel Deum incusant, vel non putant ab eo curari res
L1 hominum,